



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Jus Canonicum Ad Libros V. Decretalium Gregorii IX.**

**Huth, Adam**

**Augustæ Vindelicorum, 1732**

25. De peculio Clericorum

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63433)

TITULUS XXV.

De Peculio Clericorum.

Q. 1. *Quid sit, & quotuplex peculium Clericorum*  
*Resp. 1.* Peculium sic dictum, quasi *pusilla*  
*pecunia seu parvum patrimonium*, dicitur in jure  
 Civili ea bonorum portio, quam servus vel fi-  
 liusfam. à rationibus domini aut patris separatam  
 habet. *L. 5. ff. de peculio.* hic autem sumitur pro  
 patrimonio & bonis quibuscunque Clericorum.  
*Resp. 2.* Peculium Clericorum est triplex, sive  
 triplicis generis bona possunt habere Clerici.  
 1. *Patrimonialia*, quæ Clerici non acquirunt quâ  
 Clerici & ex suo beneficio, sed vel hæreditate,  
 legato, donatione, propriâ industriâ, vel alio  
 modo, quo laici acquirunt. 2. *quasipatrimonia-*  
*lia*, quæ acquiruntur quidem Clericis ut talibus,  
 non tamen tanquam fructus beneficii, sed ut  
 merces pro labore Clericali, v. g. cantu, lectio-  
 ne Sacri &c. Huc revocantur jura stolæ, pro-  
 babilibus etiam distributiones quotidianæ. Item  
 illa, quæ Clerici sibi de congrua sustentatione  
 parcius vivendo, subtrahunt, dicunturque *parsi-*  
*monialia*. 3. *Beneficialia*, & sunt redditus sive fru-  
 ctus, qui ipsis competunt & obveniunt ratione  
 beneficii, quod habent. Præter hæc dantur *Fc-*  
*clesiastica purè & in specie* dicta tum mobilia  
 tum immobilia ad cultum divinum vel imme-  
 diatè deputata, ut vasa sacra, paramenta, &c.  
 vel

vel mediatè, ut fundi & prædia, quæ pro Ministrorum sustentatione &c. impendenda.

Q. 2. Quorum bonorum Clerici sint domini.  
 Resp. 1. Bonorum patrimonialium & quasi patrimonialium. Clericos plenos esse dominos, habere communis & certa; quia patrimonialia per assumptionem Clericatus non amittunt; quasi patrimonialia tanquam mercedem laboris & industriae absque alia obligatione recipiunt. 1. Bonorum, e contra purè Ecclesiasticorum & in sensu sic dictorum, Clericos particulares non esse dominos, sed tantum administratores, in communis & certa est, patetque ex intentione fidelium. 3. Bonorum beneficalium, saltem eorum, quæ ad honestam sustentationem sunt necessaria, Clericos esse dominos, satis inter AA. convenit, quia fructus hi à Clericis percipiuntur velut stipendium. Idem est iudicium de patrimonialibus, quòd horum Clerici sint domini. 4. Magna est contentio inter AA. an Clerici post divisa Ecclesiæ bona, instituta beneficia designatas singulis beneficiis certas fructuum portiones verè sint domini reddituum & bonorum beneficalium superfluum, seu quoad partem non necessariam pro congrua (quænam ea sit, vid. apud Pichl. h. t. n. 4.) sustentatione. Nos cum D. Thom. 2. 2. q. 185. a. 7. in ☉ & pluribus aliis affirmamus, Clericos esse dominos reddituum superfluum. Probatur ex Trid. Sess. 23. c. 1. §. si quis autem. Sess. 24. c. 12. de ref. cas. 27. caus. 12. q. 2. c. 2. de fidejuss. Accedit ratio  
 fun.

fundata in præsumptione mentis Fundatorum ac Pontificum, in factâ à Simplicio Papa anno 471. divisione bonorum, in communi persuasione ac praxi timoratorum &c.

Q. 3. Quomodo Clerici possint expendere bona, qua sub dominio habent? Resp. 1. Clericus bona patrimonialia, quasi patrimonialia, & parsimonialia in quoscunque usus honestos, etiam profanos, non secus ac laicus, licitè expendit; quia plenum illorum dominium habet, nullo modo ligatum. Imò expensa ex his ad pias causas compensare sibi potest ex beneficialibus, quamvis animam compensandi non habuerit. Schmalzgr. h. n. 17. & 18. 2. Bona beneficialia congruæ sustentationi superflua tenetur expendere in pauperes aliàsve pias causas sub culpa ex genere suo mortali. Trid. Sess. 25. c. 1. de reform. Quando nam committatur culpa gravis, & qui nomine pauperum intelligantur, vid. cit. l. n. 22. 23. 24. 3. Provenit autem obligatio ita erogandi superflua non ex justitia; quia neque ex mente fundatorum, neque ex Ss. Canonibus constat, beneficiarios lege justitiæ obligari ad partem reddituum suorum alteri dandam: non ex Religione; quia fructus beneficii non sunt propriè res sacræ: non ex charitate aut misericordia in pauperes; quia satisfaciunt Clerici expendendo superflua non præcisè in pauperes, sed alias etiam pias causas: ex solo itaque præcepto Ecclesiastico est illa obligatio. Trid. l. cit.

TITU.